



Heinrich Friedrich Eduard Grimm

De Peste Atheniensium A Thucydide Descripta : Dissertatio Inauguralis Medica


Rostochii: Typis Adlerianis, MDCCCXXIX.


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1008963038>


Druck Freier  Zugang  OCR-Volltext

RU med. 1829

Grimm, Henri F. E.







DE
PESTE ATHENIENSIIUM
A THUCYDIDE DESCRIPTA.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA ROSTOCHIENSI

UT

SUMMI IN MEDICINA ET CHIRURGIA
HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI

SUBMITTIT

AUCTOR

HENRICUS F. E. GRIMM

MEGAPOLITANUS.

ROSTOCHII
TYPIS ADLERIANIS.

MDCCCXXIX.

DE
TRISTE AFFECTU
A PHOENIX DIVERSA

DSSERTATIO IN ACADEMIA MEDICA


QUAE

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITVANA HOSIENSIS



AVRILIO M. G. G. G.

MDCCCXXXIII

V I R O

ILLUSTRISSIMO ATQUE EXPERIENTISSIMO

MEDICINAE HIPPOCRATICAE SOSPITATORI

D O M I N O

SAMUELI THEOPHILO VOGEL,

ORDINIS BORUSSICI AQUILAE RUBRAE EQUI, SERENISSIMO MAGNO DUCI MEGAPOLITANO A CONSILII INTIMIS DE REBUS MEDICIS, PRINCIPISQUE SERENISSIMI REGNANTIS ARCHIATRO, FUNDATORI ET DIRECTORI BALNEORUM QUAE DOBBERANI FLORENT, PROFESSORI ORDINARIO PUBLICO, NEC NON MEDICORUM ORDINIS IN INCLYTA LITTERARUM UNIVERSITATE ROSTOCHIENSI SENIORI, PLURIUM SOCIETATUM LITTERARIARUM SODALI

V I D E

EXPERIMENTALIS ATQUE THEORETICIS

RESEARCHES

D O M I N O
NEC NON

STANLEY THOMPSON

OF THE
UNIVERSITY OF
MICHIGAN
AND
OF THE
SOCIETY OF
PHYSICISTS

1911

PRAEFATIO.

Thucydides Graecorum, qui rebus gestis tradendis operam dederunt, omnium praestantissimus, Athenis anno CDLXXI. a. C. natus est. ¹⁾ Auxiliis Atheniensium praefectus, quum paullo serius venisset, quam Amphipolin a Brasida obsessam liberare valeret, Cleone auctore in exilium missus est. ²⁾ Itaque partim in Thracia degens, partim Athenis, quum post annos viginti in patriam esset revocatus, belli Peloponnesiaci historiam composuit, quae, quamvis nonnisi unum et viginti annos hujus belli complectatur, tamen non solum historico, sed cuique etiam humanitatis ejusque, quam psychologiam vocamus, artis studioso, tantum utilitatis praebet, quantum haud scio an ex ullo alio antiquitatis monumento historiam tradente, comparari possit. Ubique enim

1) Certe quidem cum Pamphila, Graeca, quae Neronis temporibus in Aegypto vixit, (Cf. Gell. Noct. Att. XV. c. 23) belli Peloponnesiaci initio quadragesimum aetatis annum attigisse dicit.

2) Marcellini vita Thucydidis §. 46.

virum miraberis, qui omne partium studium exuit, ubique veritatis cognosces amantissimum, qui mentem tam excultam, atque superstitione vacuam habet, ut non solum quae vera quae falsa habenda, quae caussae rerum gestarum, optime judicaret, sed mores etiam aequalium et cultum et victum ita exprimeret, ut tabulam quasi illius aetatis in optimo lumine collocatam haberes.

— Unus hujus historiae locus (Cf. Lib. II. Cap. 47—54.) pestem describit, qua Athenienses in hoc bello correpti fuerunt, et ita memorabilis omni tempore medicis esse videbatur, ut jam Fabius Paulinus Venetianus, in St. Marci Gymnasio de eo praelectiones haberet, quae typis expressae sunt. Liber inscriptus est: „Praelectiones Marciae, sive Commentaria in Thucydidis Historiam, seu narrationem de peste Atheniensium, ex ore Fabii Paulini cilinensis Philosophi ac medici, in veneto Gymnasio ad Divi Marci Bibliothecam excepta et edita. Venetiis MDCIII. Apud Juntas. 4.“

INTERPRETATIO LOCI THUCYDIDIS: *)

XLVII. Aestate autem statim ineunte, Pe-
loponnesii, eorumque socii cum duabus copiarum
partibus, ut et ante, in Atticam irruerunt, (Ar-
chidamus vero Zeuxidami filius, Lacedaemonio-
rum rex, illis praeerat) castrisque in ea positis
agrum vastabant. Cumque nondum multos dies in
agro Attico mansissent, morbus Athenienses pri-
mum aggredi coepit: quamquam et ante cum in
multas regiones invasisse ferebatur, tum etiam in
Lemnum, et alia loca, verumtamen neque tanta
pestilentia neque tot hominum interitus uspiam
accidisse memorabatur: nec enim medici, propter
morbi ignorantiam, initio aegrotis mederi poterant,
sed ipsi potissimum eo magis interibant, quo magis
ad aegrotos accedebant, nec ulla alia hominum ars
illis opem ac salutem ferre poterat. Omnes enim
supplicationes ad Deorum templa factae, et omnis
opera, qua aut in oraculis sciscitandis, aut in aliis
hujusmodi rebus usi fuerant, haec omnia nullius
erant usus; tandemque victi magnitudine mali,
haec missa fecerunt.

XLVIII. Primum autem hic morbus, (ut
fertur) initium duxit ex Aethiopia, quae est supra
Aegyptum; deinde vero et in Aegyptum; deinde
vero et in Aegyptum et Africam descendit, et in
magnam partem regionis regis Persarum: in Athe-

*) Ex editione Bipontina desumpta, Lib. II. Cap. 47-54.

niensium porro civitatem derepente incidit, ac primum quidem in Piraeo homines tentavit; ita ut ab his etiam rumor disseminatus fuerit, venena a Peloponnesis in puteos dejecta fuisse: nondum enim fontes illic erant. Deinde vero et in superiorem urbem processit, et longe plures tunc moriebantur. Pronuntiet autem de eo morbo, ut quisque sentit, tam artis medicae peritus, quam imperitus, unde verisimile videtur eum exstitisse, et quas causas fuisse putet, quae tantae mutationis faciendae vim habuerint. Ego vero, et cujusmodi fuerit, dicam; et quae sibi quisque proponens, si quando rursus etiam hic morbus ingruat, jam praedoctus aliquid habeat, ex quo praecipue eam cognoscat, haec declarabo; tum quia ego ipse hoc morbo laboravi, tum etiam quia alios hoc laborantes ipse vidi.

XLIX. Nam annus ille (ut vel omnium confessione constabat) ex omnibus maxime fuit immunis ab aliis morbis, quod si quis et ante aliquo alio morbo laborabat, omnes hi morbi in istum convertebantur. Alios vero ex nulla certa manifesta que causa apparente, sed ex improvise, cum sani forent, primum quidem acres capitis fervores, et oculorum rubores, et inflammatio corripiebat. Et interiora, guttur inquam, et lingua continuo cruenta erant; et halitum tetrum et graveolentum emittebant. Deinde vero ex his sternutatio et rucitas sequebatur: nec multo post hic dolor cum vehementi tussi in pectus descendebat. Ubi vero in corde haeserat, cum ipsum subvertebat, tum etiam omnes bilis ejectiones, quotquot a medicis nominatae sunt, sequebantur, et ipsae cum ingenti cruciatu. Singultusque plerisque incidebat inanis, vehementem afferens convulsionem, in aliquibus quidem statim cessantem, in nonnullis multo serius. Et corpus quidem exterius tangenti non erat ad-

modum calidum, neque pallidum, sed subrubrum, lividum, parvis pustulis et ulceribus efflorescens. Interiora vero ita flagrabant, ut neque tenuissimorum vestimentorum, aut linteorum injectiones sustinerent, neque aliud quippiam praeter nuditatem; et libentissime in aquas gelidas se conjicerent. Et multi eorum, qui neglecti erant, hoc ipsum etiam fecerunt, et in puteos se dejecerunt siti insedabili. Et largior potus perinde erat ac parciore. Et corporis vexatio, quae quiescendi facultatem adimebat, et perpetuae vigiliae eos urgebant. Corpus etiam ipsum, quamdiu morbus vigeat, non languebat: sed praeter opinionem cruciatui resistebat. Itaque plerique inter nonum aut etiam septimum diem, propter internum ardorem interibant, aliquid virium adhuc retinentes, aut, si, hoc temporis spatio praeterito, mortem vitassent; tamen, quia morbus in ventrem inferiorem descendebat, et exulceratio vehemens in ipso nascebatur, simul etiam, quia immoderatum alvi profluvium invadebat, plerique postea propter debilitatem interibant. Morbus enim, qui primas in capite sedes collocarat, per totum corpus, initio a summis partibus ducto, pervadebat. Et si quis ex maximis illis periculis evasisset, extremae tamen corporis partes, quae captae laesaeque remanebant, eum hoc morbo laborasse testabantur. Nani in ipsa quoque pudenda, et in summas manus, summosque pedes prorumpibat, multique his membris capti mortem vitarunt; nonnulli etiam oculis amissis. Nonnullos etiam, simulacque ex morbo convaluerunt, statim omnium rerum oblivio pariter cepit, ita ut neque se ipsos, neque necessarios agnoscerent.

L. Cum enim hoc morbi genus multo fuerit atrocius, quam quod oratione possit exprimi, et

aliis in rebus gravius, quam ut humana natura ferre possit, singulos invasit, atque etiam hoc indicio maxime declaravit, se aliquid aliud esse, quam aliquod familiarium. Nam aves et quadrupedes, quotquot humanis cadaveribus vesci solent, cum multa jacerent insepulta, aut non accedebant, aut, si gustassent, interibant. Argumento autem hoc est, quod hujusmodi avium manifestus fuit defectus; nec uspiam alibi, nec circum ulla hujusmodi cadavera videbantur. Canes vero, propter consuetudinem quam cum hominibus habebant, majorem eventus significationem dabant.

LI. Hic igitur morbus (ut omittam multa alia inusitatae atrocitatis, prout unicuique aliquid accidebat diversum ab eo, quod alteri contingebat,) omnino specie talis fuit. Et tunc temporis nullus alius morbus ex consuetis Athenienses infestebat. Quod si quis oriretur, in hunc desinebat. Moriebantur autem alii incuria, alii vero, vel diligentissime curati. Nec ullum prorsus remedium, ut ita loquar, repertum est, quod adhibitum prodesset. Quod enim alteri profuerat, hoc ipsum alteri nocebat: nullumque corpus, sive firmæ, sive infirmæ valetudinis esset, tanti mali violentiæ resistere potuit; sed omnia pariter, vel ea, quæ omni victus ratione curabantur, corripiebat. Illud vero in toto hoc malo gravissimum erat, tum quod, simulac quis se morbo correptum sensisset, animo consternaretur, (statim enim animo ad salutis desperationem conversi, multo magis se ipsos projiciebant, neque resistebant,) tum etiam, quod propter mali contagionem, quam alter ex alterius curatione hauriebat, adeo ut ex ea oppleretur, tanquam pecudes morerentur. Atque hæc fuit præcipua maximæ stragis causa, sive enim nolissent metu deterriti mutuo se invisere, deserti in-

teribant, multaeque familiae propter inopiam hominum, qui aegrotos curarent exhaustae sunt: sive alteri ad alteros adissent, interibant: praecipue vero qui aliquam virtutis partem sibi vindicabant. Nam prae pudore sibi ipsis non parcebant, dum in amicorum aedes ingrediebantur, ut eos viserent; siquidem vel ipsi domestici denique lamentationibus eorum, qui moriebantur, defatigati, non amplius commovebantur, mali violentia superati. Illi tamen, qui evaserant, et eum, qui moriebatur, et eum, qui laborabat, magis miserabantur, tum quod hoc malum prius experti cognoscerent, tum etiam quod ipsi in tuto jam essent. Hic enim moribus eundem bis non corripiebat, ita ut eum etiam interimeret. Et ab aliis beati censebantur, ipsique propter praesentem salutis insperatae laetitiam exsultantes, quandam etiam levem spem habebant, se ne alio quidem ullo morbo in posterum amplius unquam absumtum iri.

LII. Ipsos autem, praeter laborem, quo jam vexabantur, ipsa quoque rerum ex agris in urbem comportatio, praecipue vero rusticos, qui in eam confluxerant, gravius pressit. Cum enim non essent aedes, sed in tuguriolis aestuosis ob anni tempus habitarent, strages edebatur, nullo ordine: quin etiam alii super alios morientes, mortui jacebant; et in viis, et circa fontes omnes, aquae desiderio, semimortui volutabantur. Et templa, in quibus tabernacula habitandi causa fecerant, cadaveribus hominum, qui ibi in ipsis moriebantur, erant referta. Malo enim supra modum urgente, homines non habentes, quid agerent, aut quo se vertereut, sacra ac profana aequae negligere coeperunt: Omnesque leges, quibus ante in sepultura utebantur, pariter sunt conturbatae, nam sepeliebant, ut quisque poterat. Multique, propter cre-

bram domesticorum jam defunctorum stragem, rerum necessariarum penuria, ad impudentia sepulcra se converterunt. Nam alii quidem in alienos rogos, antevertentes illos, qui eos exstruxerant, mortuum suum imponebant, igneque subjecto accendebant: alii vero, dum alterius cadaver arderet, suo cadavere, quod ipsi ferebant, superjecto, discebant.

LIII. Hic autem morbus aliis etiam in rebus civitati majoris improbitatis fuit initium, facilius enim quilibet audebat palam facere, quae prius pudore impeditus occultabat, ita ut ex animi libidine non patretur, quod repentinam rerum mutationem fieri viderent: et homines quidem fortunatos repente mori; illos vero, qui nihil ante possidebant, statim illorum bona possidere animadverterent. Itaque bonis illis celeriter perfruendum, operamque voluptatibus dandam censebant, quod pariter et corpora et bona momentanea et in diem tantum duratura esse existimarent. Nemoque promptus erat ad labores tolerandos rei causa, quae honesta videretur, incertum existimans, num esset interiturus, priusquam ad illam proveniret. Quod autem unusquisque jucundum, et undique quaestuosum fore moverat, hoc etiam honestum, et utile constituebatur, nec ullus Deorum metus, aut hominum lex eos arcebat: partim quidem, quia Deos colere, perinde esse judicabant ac non colere, quod omnes pariter mori viderent; partim vero, quia nullus se tamdiu superstitem futurum sperabat, dum instituto iudicio poenas suorum daret. Multoque majorem poenam, fatorum iudicio jam decretam sibi impendere existimabant: ante cuius adventum, aliquibus vitae voluptatibus sibi perfruendam esse censebant.

LIV. Athenienses igitur in hujusmodi morbum inciderunt, eoque graviter premebantur, tum quod homines intra muros morerentur, tum etiam quod foris ager ab hostibus vastaretur. Dum autem hoc malo vexarentur, ut verisimile est, hoc etiam carmen in memoriam revocarunt, quod seniores olim decantatum dicebant:

Doriacum veniet loimo comitante duellum.

Inter homines autem altercatio erat, non *λοιμόν* in isto carmine ab antiquis nominatum, sed *λιμόν*. Sed in praesentia illud merito evicit, pestilentiam significatam fuisse. Homines enim ad mala, quae patiebantur, carminis mentionem accommodabant. Quod si unquam aliud Doricum bellum post hoc eos invaserit, et *λιμόν* esse contigerit, verisimiliter hoc modo canent. Oraculum etiam Lacedaemoniis redditum, ab illis, qui hoc noverant, memorabatur, cum ipsis oraculum consulentibus, num bellum esset movendum. Deus respondit, ipsos fore victuros, si bellum totis viribus gererent, seque ipsis opem laturum dixit. Quod igitur attinet ad oraculum, ea, quae tunc fiebant, cum ipso convenire conjiciebant. Nam cum Peloponnesii in Atticam irrupissent, hic morbus statim grassari coepit. Nec ipsam Peloponnesum invasit, nec ullo malo eam affecit, quod sit relatu dignum: depastus vero est Athenas praecipue, deinde ex aliis locis ea, quae maxima populi frequentia erant referta. Atque haec quidem sunt ea, quae in morbo evenerunt.

I. DE PESTIS ATHENIENSIS ORIGINE.

Thucydides pestem in Aethiopia vel superiori vel ad orientem solem spectante ortam esse dicit, unde migrasset in Aegyptum, et Lybia infecta, in Perisiam transiisset. Inde morbi contagium in terram Atticam et maxime quidem Athenas urbem esse vagatum. — Inter has terras australes Aegyptum praecipue hujus morbi patriam omni tempore esse habitam, ex Plinii verbis jam patet, qui Hist. N. Lib. VII. c. 50. contagium ex Africa et Aegypto Italiae, Galliae et Hispaniae solere invehiri dicit. Neque injuria: nam mirifica quadam coeli serenitate, nonnisi mense Decembri magnis et assiduis imbris intermissa, excellit Aegyptus; quumque omnino hujus terrae natura ita comparata sit, ut totus annus in duas partes fere aequales possit dividi, quarum altera serena sit et a pluvia vacua, alteram habeas pluvialem atque ita institutam, ut duo in ea menses a nebulis teneantur, fieri solet, ut illae Aegypti regiones, vaporibus, qui planitiem obducunt, humidis et insalubribus, superiores a contagio non inficiantur. Uti igitur hi liquores sunt, qui et oriente sole et occidente densa inferiorum regionum incolas cooperiant nebula, sic etiam has terras maxime pesti obnoxias esse usu compertum habemus. Quoties enim hoc malum gravissimum accidisse dixeris maritimis illis Aegypti urbibus v. c. Alexandriae, Rosettae, Damiettae?

Quae vero quantis sint circumdatae paludibus, nemo non novit. Contra loco opportuno sita est arx urbis Cayri, cujus incolae, peste inferiorem urbis partem anno MDCCXCI vastante tam bona valetudine uterentur, ut non modo a peste inficerentur, sed ne e consuetudine quidem, qua cum illis conjuncti manerent, ullo malo afficerentur. Cf. Observationes de morbo, qui vulgo pestilentia dicitur a Dr. Paulo Assaliniò in expeditionibus Francogallorum contra Aegyptum collectas.

Pestis Atheniensis in annum incidit tertium Olympiadis LXXXVII sive in annum CDXXX a. C. n. et veris tempore quum apparuisset, celeriter disseminata, aestate maxime floruit. Profecto ad febres pestilenciales et creandas et propagandas, ver et auctumnus aptissima anni tempora sunt. Narrat Paulus Orosius, pestilentiam quae Nerone Caesare Romam invasit, ineunte auctumno tanta saevisse vehementia, ut triginta hominum millia consumerentur. Vere incepit Byzantina, ab Agathia descripta; auctumno orta est ea, quam Livius commemorat. Sic quoque Sigonius (Cf. de Regno Italiae Lib. II.) pestilentiae mentionem facit, valde perniciosae, quae cum in Italia anno DCXV vigeret, auctumni tempore primum comparuisset. Veris initio lues, quam Bocaccio descripsit, cernebatur: et magna sane fuerit exemplorum copia, et e veteribus et e novis historicis desumptorum, quibus demonstrari possit, his anni temporibus maxime pertinere pestilentiam, quamvis non dubitem, quin antecedentis aestatis natura qualis fuerit, quum ad procreandum morbum tum ad vim ejus augendam multum conferat. Itaque Prosper Alpinus vir fide dignus, haec dicit. „Pestis Cayri atque in omnibus locis Aegypti invadere eos populos solet ineunte Septembri mense usque ad Junium;

his enim omnibus mensibus a Septembri ad Junium usque pestis aliunde per contagium illuc asportata eam gentem invadere solet. Prosper Alpinus de Medicina Aegyptiorum Lib. IV. Venetiis 1591. 4. p. 31.

Sed quamquam pestilentium morborum causam in aëre, quam atmosphaeram dicere solemus, quaerendam recte medicorum contendunt: plerique, multae tamen res et majoris et minoris momenti accedere videntur, quae, ut luem non efficiant, quod tamen melius adhuc in suspensum relinquam — disseminando tamen morbo malum possunt augere. Id maxime ad pestilentiam Atticam spectat. Nam bellum Peloponnesiacum quod Thucydides recte judicat prae omnibus memoria dignum, multum sane, ut malum oriretur, et latius manaret, contulit. Quod enim unquam bellum eo usque existit aliud tam diutinum, quod unquam fuit, pertinacius vel latius diffusum, Peloponnesiaco, quod annos duravit septem et viginti, Graeciam non solum, Peloponnesum, insulasque vastavit, sed Asiam etiam et Italiam Siciliamque attingit? Quonam alio tot familiae nobiles cum stirpe procubuerunt, tot celeberrimae sunt urbes ferro ignique hostium deletae, et tantis motibus domesticis seditionibusque turbatae atque dirutae? Quonam alio pugnatum est acrius terra marique, aut tanta agrorum magnitudo quanta in Peloponnesiaco, vastata? Inde praeterea natum est malum, nullo alio atrocius atque perniciosius, quod et civitates demergit et pestilentiam adjuvat; quo nescio an magis aliud quidquam possit: mores dico corruptos. Qui sane quantum calamitatis in pestilentia adferant, vix est, quin multis verbis explicem. Quid enim illi recte sperare poteris, ubi nemo est, qui omnem operam in contagio locare velit arcendo; nemo qui morbi

causas removeat, a bene valentibus secernat infectos, moneat cives, ne animum abjiciant, nemo denique qui superstitionem possit diluere? Nam multa cum e belli gravitate tum e rerum natura tam adversa acciderant, quasi elementa cum libidine atque intemperantia de Atheniensium interitu conjurationem fecissent. Quocunque oculos conjicimus, omnia calamitatem indicant; morbi cujusvis generis per totam Graeciam diffusi, inundationes funestae, siccitates annonae sterilitatem famemque adducentes, belli satellites infelicibus Graeciae incolis apparent et terrore eos percellunt tanto majore, quum ex astris sibi obscuris aliisque phaenomenis futura etiam mala praesagire viderentur.

Alia causa, quae non minus pestilentiae incremento Athenis favebat, in hominum frequentia quaerenda est, quorum alii spe contagii vitandi, alii belli e remotioribus terris Athenas jam antea viris opulentas se contulerunt. Quanta enim Athenis esset hominum copia, cum ex aliis scriptoribus, tum ex ipso Thucydide (Cf. Lib. II. c. 13.) conjici potest, et recte jam pacis tempore centum et viginti fere millium numerum explevisse dicitur. Qui igitur quum terminis ac domiciliis tam angustis continerentur, aërem oportebat sensim corrumpi, neque erat, qua ratione facilius contagium in alios vagari posset. Alia causa, qua gravius vis morbi invaderet, in eo erat, quod neque morbum perspicerent, neque contagionis viam animadvertent. Nam primum e Peloponnesiorum malitia, qui puteos veneno imbuissent, deinde ex ira Deorum, qui poenam repeterent, calamitatem esse natam putabant. Quare ad preces atque oracula refugiebant. *)

*) Vetusissimas quasque gentes causam pestis ad Deos retulisse constat. Sic jam Homerus Iliad. III. Calchan-

Sed quum etiam illa nihil afferrent auxillii, non amplius laborarunt, quo morbi cursum coërcerent. Nihil igitur curarunt mortuis, qui in viis prostrati atque insepulti jacebant, et libidini sese dediderunt. Nam quisque, quum paululum sibi tantum vivendi temporis relinquere arbitraretur, quam jucundissime vitam agere voluit, quo maxima hominum jactura facta est.

Simile quoddam narrationi huic Thucydideae, quomodo in pestilentia homines voluptatibus vacare soleant, Monachus quidam ordini divi S. Augustini adscriptus, de ea, quae Genuae anno MDLVII. floruit peste memoriae prodidit:

„In tanti terrori e spaventi, tra tanti fetidi e putrefatti carnami, fra tante strida, sospiri e gemiti de' patienti, che avreste creduto? che le persone spaventate ed inhorridite stessero sempre melanconiche, modeste e pacate? Voi siete

tem vatem inducit, qui et pestis in exercitu Graecorum causam laesum Apollinis numen docet, et quomodo numen placari possit, ut pestis sedetur. Hippocrates I Aphor. p. 6. Oraculum commendat. Galenus Comment. I. morb. popul. princip. Omnes homines inquit, pestes appellant et sciunt perniciosos morbos esse. Sed et saepe ad Deos mittunt, qui percunctentur, quomodo ab ipsis sanari possint. Plato etiam (in Phaedro) ob peccata hominum morbos ac dolores ex Deorum ira oriri tradit, et quod ad preces ac cultus Deorum sit confugiendum. Recentiores adeo scriptores, et anterioris saeculi, saepius adhuc pestem ex Dei ira oriri tradunt. Angelus Sala in tractatu de peste dicit: vera enim causa antecedens et originalis pestis est ira Dei etc. Sic etiam tractationem de peste inscriptam invenimus: Erschrecklicher Zorn-Spiegel des eiferigen und gerechten Gottes allen sonderlich großen und prächtigen Städten bey iziger und an vielen Orten heftig grassirenden Pestilenz ic. von M. C. F. Lammel. Hamburg 1710.

in errore. Si canta, si suona, si salta, si fanno gl'amori, nè mai si vidde Genova tanto sfacciata, dissoluta e licenciosa — e già ch'altrove dissi, che in questa peste Dio vendemmiava per il cielo, pareva ancora il tempo delle vendemmie per li sfrenati della terra. Che se ciò non è, d'onde avienne, che si fecero in Consolatione tanti matrimony e che molte donne senza sparger una lagrima per la morte de' loro consorti subito s'appigliorno à nuovi partiti? Un giorno particolarmente, che se ne celebromo cinque, e quattro de'sposi erano beccamorti, che non le spoglie de' cadaveri adornorno se stessi e le spose.“ Li Lazaretti de la città et riviera di Genova P. Antero Maria di S. Bonaventura Agostiniano. p. 123. *)

Quam perniciosa praeterea sit corporum insepulorum illa exhalatio foetorque, vix est cur pluribus verbis explicem. Id unum adjiciam. Sunt qui pestilentiae originem inde repetant, quod multis populis mos sit, mortuos, etiamsi nulla lue

*) In tanto timore atque terrore inter cadavera foetentia et putrescentia, inter aegrotorum lamentationes et gemitus, quid tandem expectaveris? Hominesne timore atque horrore objectos et modestos et quietos fuisse? Falleris quod si credas. Nam inter vocum et nervorum et tiliarum cantus saltabant, amoribusque operam dabant, nec Genua unquam erat impudicitior neque effrenatior neque dissolutior. Dixi supra, Deum ex hac peste coelo messem fecisse, at libidinosus etiam hujus terrae messis esse videbatur. Quo enim alio modo evenire poterat, ut tot matrimonia in Nosocomio Consolationis essent inita, tot mulieres, nulla lacrima virorum mortuorum memoriae effusa, e vestigio novas conjunctiones fecissent? Uno die praesertim nuptione junctae sunt quinque, ex quibus sponsi quatuor erant libitinarii, qui sese et sponas mortuorum vestibis ornaverant.

perierint, non abscondendi tumulo, uti nos solemus, sed exiguam tantum superjiciendi terram. Quae terra quum facile amoveri possit, fieri, ut exitiosae exspirations non minus in aërem assurgant. Rem ita sese habere, exempla satis superque novissimum hoc bellum praebet Russico-Turicum, nondum compositum; et Aegyptios quoque hanc consuetudinem mortuos sepeliendi habere, nuper indicavit St. Hilarius, qui pestilentiae originem inde vel maxime repetere videtur. Cf. Revue Encyclopedique Mai 1828. Res profecto non improbabilis esse videtur, quum satis pateat pestilentiam belli comitem esse solere semper fere in terris illis, saepius olim fuisse in nostris.

II. QUAMDIU PESTILENTIA ATHENIENSIS DURAVERIT.

Pestis Atheniensis omnino annos duravit duos, praeterquam quod in tertio demum recrudescente videretur, quam tamen Galenus Hippocratem continua suffitione adhibita, coercuisse refert. *)

*) Hippocrates, ut Galenus, refert (Ad Pisonem de the-
riaca) Atheniensibus et Graecis circumvicinis magnam
auxilium attulit, aëris nimirum mutatione alteratione-
que. Jussit namque, ut prius homines sub ventis illis
pessimis amoverentur. In multis locis per urbem ex-
structis pyris et odoratissima ligna, suavissimos flores
ac coronas incendit, et aromata ac unguenta inspersit,
ut tum ignis siccitate tum odorum fragrantia corruptum
aërem emendaret; ob cuius beneficii gratiam in ma-
ximo honore apud Athenienses habitus est, et auream
statuam meruit. Hoc etiam testatur Thessalus, Hip-
pocratis filius. (Cf. Orat. ej. ad Athen. habit.)

Missis vero disceptationibus omnibus subtilioribus, num adhibitus suffitus in pestilentia Atheniensi tantum fructum praeberit, quantum annotatio indicat, ut pestem revera comprimeret, quod tamen Thucydides nequaquam commemorat, aperte dicens, nihil omnino medicos contra hunc morbum valuisse, lectori credo haud fore ingratum, quum hoc loco nonnulla de epidemica pestilentiae natura in universum commemoravero.

Plurima pestis genera epidemica certum originis progressionis atque defectionis tempus habere videntur. Haud minori tempore quam pestilentia Athenienses, erat ea, quae Orosio teste anno CCLXXXIV Romam vastavit. Livius in libro VII historiarum bimulae pestis mentionem facit. Idem morbus, quum Romae Hadriano Caesare anno CLII floreret, biennio post prorsus abiit. Sed quum aëris natura ad propagandam pestilentiam necessaria, et crassitudine et tempore diversa sit,

Quantae praeterea utilitati sit bonis odoribus pestilentiae tempore suffire, id multis exemplis comprobatur Muratorius Lib. I. c. IX. ubi inter alia et hoc affert. P. Mauritium Tolonensem ait, Capuciuorum ordini addictum, odores incendendo Genuae, cum pestis floreret anno MDCLVII, profuisse multum et ita hoc medicamentum saepius esse adhibitum. Deinde duo exempla boni suffitionis effectus, et Venetiae anno MDLXXVI et in Melita insula anno MDCLXXV adhibitae commemorat, plura praeterea quibus ostendit hoc remedio verbi causa Romae MDCLVI, Massiliae MDCXLIX, Modenae MDCXXX, Florentiae aliisque in urbibus neglecto, malis incolas pressos fuisse gravissimis.

Hac igitur cognita atque probata suffitionis efficacitate (uti in navibus fieri assolet) fumum et ignem patet morbos contagiosos atque pestilentiam etiam optime posse reprimere. — Lind's Dissertation on Fevers, 2d edition p. 229.

fieri potest ut morbi vehementia tempusque, quamdiu grassetur non unum et idem sit. Itaque Eugarius pestilentiam commemorat, quae per annos LII totam fere orbem terrarum peragraret, priusquam exstingeretur. — Ut morbi omnes epidemici, sic pestis quoque plures habet periodos. „Porro et sua habet incrementi ac declinationis tempora, non secus ac ceterae rerum naturalium species.“ Sydenham Oper. s. 2. Cap. II. p. 108.

Attamen hae periodi in diversis coeli regionibus diversae sunt, (atque interdum etiam in una eademque plaga dissimilibus annis inter se differunt). Itaque Prosper Alpinus de peste Cayrana haec dicit: „Junio vero mense qualiscumque et quantacumque sit ibi pestilentia, sole primam cancri partem ingrediente, omnino tollitur, quod multis plane divinum esse non merito videtur. Sed quod etiam valde mirabile videtur, omnia supellectilia, pestifero contagio infecta, tunc nullum contagii effectum in eam gentem edunt, ita ut tunc ea urbs in tutissimum et tranquillissimum statum reducatur, ex summe morbo, et morbi particulares sporadici tunc apparere incipiunt, qui nusquam gentium tempore apparebant. Prosp. Alpinus de Med. Aegypt. L. I. Cap. 17.

Haec a Prospero Alpino commemorata a Russelio quoque in dissertatione de peste habita magnam partem confirmatur quum P. I. Lib. 5. p. 322. haec dicat: „Omnino contendunt indigenae, imprimis Christiani, Joannis die pestem Cayra abire. Aleppone haud multum post illam diem pompam vidi funebrem ab inferioris ordinis Christianis institutam, qua feretrum per vias ferretur, vacuum, quae justa pestilentiae funebria dicere solebant. Turcas et Mauros doctrinae de praedestinatione adhaerere satis notum habemus. Hanc igitur

rationem conservantes, post Joannis diem in for-
vestimenta multorum millium congerunt homi-
num, qui in eo anno peste mortui sunt. Hae vestes
humidum aërem et vespertinum et matutinum im-
bibunt, manibus tenentur, emuntur, induuntur,
geruntur, timente nemine infectionis periculum,
quamvis enim sint e lana, bombyce, pellibus, serico,
quae omnia pestem diutissime retinere solent, con-
fectae nemini tamen fidenter impavideque iis utenti,
quidquam inde mali accidit. Cf. Niebuhri in
Arabiam profectioes Tom. I.

Sydenhamius uti assolet diligentissime pestis
cursum, quae Angliam vastabat, ita describit:
„Quamquam autem hic morbus, cum duntaxat
sporadicus existit, nullo tempestatis discrimine
paucos aliquot tradito quasi per manus contagio
affligat, tamen ubi adest etiam epidemica aëris con-
stitutio exoritur circa eam anni partem quae inter
ver atque aestatem ambigit . . . crescente anno ado-
lescit eodemque vergente collabascit, donec tan-
dem aërem in diathesin huic morbo adversantem
glacialis bruma transmutet.“ Sydenham. Oper.
s. 2. Cap. II. p. 108.

Sed quamvis haec observatio, si totam rem
spectas, fide digna haberi videatur, res tamen cer-
tissimae contrarium saepe ostendunt. Verbi causa
Cayri anno MDCCLIX Europaei usque ad Idus
sextiles sese inclusos tenuerunt. Urbe Aleppone
constitutio pestilentialis anno MDCCXLII et anno
MDCCLX tres annos duravit, et anno MDCCLXI
atque sequente per Quinctilem et Sextilem ibidem
vel plurimi consumti sunt. Cf. Russels Natural
History of Aleppo. Cujus generis profecto multa
alia etiam exempla proferrentur.

In nonnullis morbis epidemicis celeres coeli
vicissitudines vim perpetuam atque conspicuam ex-

ercent; in aliis autem aër pariter quidem efficax est, sed haec efficacia neque in commutatione quadam sensibus percipienda consistere potest, nec derivari ex ea aëris natura quae vulgo animos movet, sed in compositione vel conjunctione quadam inexplicabili atque in vi occulta et nova posita esse videtur. Huic morborum epidemicorum generi adnumeranda est pestilentia. „— Variæ sunt nempe annorum constitutiones, dicit Sydenhamius, (ubi in universum de morbis loquitur epidemicis), quae neque calori, neque frigori non sicco humido, ortum suum debent, sed ab occulta potius, et inexplicabili quadam alteratione in ipsis terrae visceribus pendent, unde aër ejusmodi effluviis contaminatur, quae humana corpora huic aut illi morba addicunt determinantque; stante scilicet praefatae constitutionis praedominio, quae exacto demum aliquot annorum curriculo, facessit, atque alteri locum cedit . . . Quamvis autem diversas diversorum annorum habitudines, quoad manifestas aëris qualitates, maxima qua potui diligentia notaveram, ut vel exinde causas tantae epidemicorum vicissitudinis expiscarer, me tamen ne hilum quidem hactenus promoveri sentio; quippe qui animadverto annos quoque manifestam aëris temperiem sibi plane consentientes dispari admodum morborum agmine infestari, et vice versa.“ Sydenham. Oper. de morb. epidem. Cap. II. p. 41. Quodsi igitur unquam aëris natura qualis constituta atque composita est, sine quo aëre pestis contagium nunquam neque in alios vagatur nec reprimatur, reperiri posset et manifestis definiri indicis, pestilentiae timor longe lateque diffusus multo imminueretur. Efficaciora sane exquirentur tuta-
menta, quorum usus pro temporibus causisque, pro aegrotorum terraeque natura, finibus et terminis

certis circumscriberetur. In Turcico quidem imperio, ubi prius pestilentiae temporibus, prorsus nihil providebatur, satis docet experientia certa aëris constitutione, consuetudinem cum locis infectis sine incommodo esse continuatam. Itaque pestilentia e vi tantum effectus adhuc apparet neque id unum quidem quando appropinquet, aut quando abeat potest praedici. Tanta gravissimi morbi naturam impenetrabili caligine obductam videmus. Cf. Russel.

III. NONNULLAE PESTILENTIAE ATHE- NIENSIS PROPRIETATES ET SYMPTO- MATA EMINENTIA.

Narrat Thucydides, eos, qui e pestilentia convaluissent, et morientium et laborantium maxima fuisse permotos misericordia, quum malum experti ab omni periculo vacarent; deinde explanandi causa addit eorum, in quos semel morbus invasisset, neminem quemquam iterum hoc morbo ita esse tentatum, uti periret.

Sane quidem eorum qui hoc modo morti se offerunt sine incommodo, tanta est copia, ut casus pauci, ubi contrarium acciderit, facile e memoria excidant. Sennertus quidem (Cf. De Febribus Lib. IV. c. 4.) et Diemerbroeckius (De peste Lib. V. Hist. 57.) Alexandro Massariae opinionem subjiciunt, quasi existimaverit, neminem unquam a pestilentia bis posse tentari. Sed Vicentiae eum animadvertisse contrarium, e Massariae verbis ipsae aperte elucet. Nam accuratius non solum plerisque Thucydidis locum describit, sed errorem etiam,

secundam contagionem nunquam esse mortiferam corrigit, et causam, quod vespillones tam raro ulla hujus morbi molestia afficiantur, inde vel maxime deducit, quod hi jam antea pestilentia conflictati fuissent. „Hujus rei caussae cum aliae ab aliis afferantur, certiore illam et veriore caeteris esse nos existimamus, quod ii plerique altera pestilentia laboraverint, sicuti communi fere omnium consensione longiorique experientia jamdudum confirmatum esse videtur, ut nemo bis pestilenti morbo male inficiatur; quod privatim annotavit Thucydides, qui hoc inprimis nomine, quicumque evaserunt, beatos ab aliis aestimatos fuisse tradit, ac si illi nulli amplius mortis periculo essent obnoxii; quod quidem privilegium quamquam majori ex parte verum, neque prorsus a ratione alienum esse nos arbitramur, illud tamen quod apud nos res ipsa monstravit, haud perpetuo verum esse, et quandoque fallere censendum est. Massariae Tractat. I. de peste Oper. Lugd. 1669. p. 509.

Opinatur igitur Massaria, haud facile fieri ut ii, qui semel pestilentia affecti fuissent, iterum in eam inciderent: attamen non omni periculo eos esse vacuos, quin contagione secunda consumerentur, in quo cum medicorum plerisque qui hunc morbum tractarunt, consentit. Elegerunt enim inde ab omni tempore eos ad periculosissima quibus laborantes indigebant, officia subeunda, qui jam hoc morbo fuerant perfuncti.

„Chaque brigade avoit des hommes de travail que l'on choisit parmi ceux qui avoient eu le mal — et le linge fut lessivé par des personnes échappées du mal.“ Relation historique p. 438. 440. Et Traité de la Peste. P. II. p. 147. 260.

Augustinianus ille, qui pestilentiam quae Genuae vastavit anno MDCLVII descripsit, fieri qui-

dem posse concedit, ut iterum aliquis inficiatur, accidere tamen perraro affirmat. Nam e multis inquit, hac lue laborantibus, quos videndi sibi fuisset occasio, nonnisi tria quatuorve reperisse sese exempla. Saepe tamen recrudescere morbum, aut eos qui e morbo convaluissent, aliis implicari morbis, quod multis novum pestilentiae contagium esse videretur. Li Lazaretti de la città et riviera di Genova. P. Antero Maria di S. Bonaventura Agostiniano (p. 299.).

Mercurialis atque Helmontius, patricius, in eo consentiunt, quod perrari essent, qui iterum peste corriperentur. Illius verba haec sunt: „Praeterea idem contigit in magnis pestilentibus, quod in illis, qui semel passi sunt pestem, ut de sua retulit Thucydides, et qui semel passi sunt quartanam, quos experientia comprobatum est, non ita cito aut nunquam illis tentari.“ Mercurialis de peste cap. XIX.

„Quare qui a peste surrexerunt, eodem anno vix aequae facile a peste inquinantur.“ Van Helmont. Tumul. Pest. p. 173.

Timonius quoque exempla desiderat, quibus probari possit, saepius unum et alterum uno atque eodem anno Constantinopoli a pestilentia esse infectum. „Pro monstro habetur, si quis a peste perfecte sanatus eodem anno peste corripiatur.“ Philosoph. Transact. Vol. XXXI.

Item Chicoynoius historiam cujusdam mulieris affert, quae iterum a peste tentata post horas quadraginta octo periret, quod factum valde mirabile putat. *Traité de la Peste* p. 322.

Samoilovitus contendit nunquam unum et eundem eadem corripere pestilentia. Nullum sese, ait, ejus exemplum in Russia anno MDCCLXXI reperisse. Quamvis enim octoginta homines qui

pestilentia laborantibus assiderent, in una domo habuerit, neminem quemquam eorum, qui singulis horis in periculo fuissent, a malo esse infectum. Et Mertensium, qui idem de pestilentia scripsit, quae anno eodem Moscaviam vastavit, aut errasse opinatur, aut falsa ei esse delata, quum (Observatt. Med. p. 125.) experientiam docere affirmet „hanc (pestem) illos non solum in variis vitae periodis, sed et in eadem epidemia bis aut saepius occupare posse.“

Exemplum quidem Mertensius non profert, sed eadem opinio ab Orraeo quoque confirmatur, cui in Russia per annum MDCCLXX atque sequentem nonnulla recidentis contagii exempla usu venerunt. „Pestem ait, etiam repetitis vicibus in uno eodemque subjecto recurrere, saepiuscule observatum fuit.“ Orraei Descript. pestis in Jessia et Moscuam ann. 1770 et 1771. Petropol. 1784.

P. Russelius in sua dissertatione de peste dicit, inter quatuor millia laborantium atque quadringentos, repertos esse tantum duodetriginta in quibus nova contagio fuisset: numerum, quam ipse exspectasset, multo minorem, unde conspici posse, quare nonnulli medici ejusmodi casum nunquam usu compertum habuerint. Cf. P. I. Lib. II. p. 225. Etiam in eodem libro p. 226. se ipsum, ait, nunquam vidisse pestilentia laborantem, qui saepius bis hoc malo conflictatus fuisset, sed auctoribus, fide dignis, sese acceptum esse nonnullos ter quaterve a peste tentatos. Nihilominus tamen addit, cavendum cuique, ne morbum recidivum et novam pestilentiae contagionem permisceat; id enim errorem efficere, quasi novae hujus mali accessiones multo frequentiores sint, quam revera reperiantur.“

Descriptio ultimae pestilentiae periodi, qua Massilienses vere anni MDCCXXI conflictabantur

(Relation Historique p. 458.) fructuosum hujus rei certissimae argumentum continet, quae cum ad animos tranquillandos magnam vim habeat tum et publicae securitatis curae multum prodest et omni medendi ratione maximi momenti est.

Etiam in aves rapaces et alia animalia, imprimis in canes vim suam exercuisse luem tradit Thucydides.

Jam Homerus Iliad. I. et mulos et canes pestem corripuisse canit. Sorbaitus in tractatu de peste refert: auram intolerabilem redoluisse foetorem, sed ex putredine mortuorum et passeris canarienses in caveis suis expirasse. Et Itzehoeae in peste Holsatica observatum fuit, canem postquam cum pannis vetustis e domo infecta per plateam projectis lusisset, statim mortuum; gallinam etiam stramina infecta pedibus dispergentem, protinus demortuam fuisse. Simile quid refert Boccatius de peste Florentina: projectis inquit in viam publicam laceris attritisque cujusdam pauperis viri pannis, quem pestis abstulerat, duo porci forte in eos incidentes, pro more suo primo rostris versare eos aliquamdiu, mox dentibus prehendere, et circum circa caput concutere, unde exiguo interjecto spatio, ambo exanimis in terram conciderent.

Itaque Deidierus, medicus francogallicus, in bile eorum, qui pestilentia consumerentur, diversa pericula fecit, ex quibus patet, canibus luem communicari potuisse, quum bilis venis injiceretur vel recentiora vulnera ea oblinerentur, quam bilem canis hoc modo infecti, pariter etiam peste alterum canem imbuisset. Cf. *Traité de la Peste* p. 202. 502. etc.

Singula quod attinet symptomata eminentia, Thucydides in iis enumerandis, anatomicam corporis humani divisionem prout vel in capite vel in pectore vel in alvo vel in membris extremis conspicerentur, observat. Sentiebatur igitur:

I. Magnus capitis aestus, quod haud improbabile est indicium febris fuisse. Russelio teste semper in una aut altera pestis periodo paucis casibus exceptis febris locum habebat. Praeibat plerumque sensus lassitudinis et horror levis et capitis non tantus dolor, quanta temulentia erat. Cf. P. Russelii Dissert. de Peste init. 56 et 63 aegrotorum historiarum. Vol. I. Lib. II. p. 89. — Fallopius dicit peste infectos magno aestu atque compressione laborare, quae caput maxime dolore afficeret, et inde secundum dorsum diffunderetur. Fallop. de tumoribus c. de bubonibus. — Mindererus pestem in bonam et periculosam dividit. In periculosa, quae ei rursus in duas partes divisa est, febris in prima parte cum vehementi insania atque phrenitide conjuncta est. Cf. Mindererum. Uebermal ein Beytrag zur Kenntniß und Heilung der Pest. Riga 1790. p. 61.

II. Rubor et ardor oculorum. Oculorum vultusque mutatio a multis scriptoribus notata, et ab alio aliter descripta, maxime memorabilis est. Russelius in libro laudato oculos dicit, in paroxysmis subrubicundos fuisse, quo vultus ferus fieret, in apyrexiiis vero ruborem esse minutum. — Cf. Traité de la Peste ubi p. 37. haec verba legimus: „Les yeux étoient ternis, le regard fixe et égaré.“ p. 215. „Les yeux troubles.“ p. 362. „Les yeux s'éteignent dans les uns et déviennent languissans, vifs et très enflammés dans les autres.“ p. 415. „Les yeux étincellans ou entièrement mornes.“ —

Chicoyneau etiam in secundae classis descriptione, ubi symptomata, quae febrem indicant, vehementia erant, oculos appellat „rougeâtres, fixes, égarés, étincellans.“ — Et Deidierus accurate discrimen exponit quum loquitur: „Les yeux éteints, les extremités froides.“ „Les yeux étincellans, une chaleur brulante.“ „Les yeux sont enfoncés, s'apétissent, sortent de la tête, sont plus ouverts que de coutume, quelque fois étincellans, et sont enflammés.“ (p. 590.)

Bertrandus l. c. p. 375. haec verba profert: „Les plus malades ont les yeux vifs et étincellans, même dans les plus grandes foiblesses et le regard affreux à peu près comme les hydrophobiques, et ces yeux étincellans étoient toujours d'un mauvais augure. C'est sans doute par là que quelques chirurgiens qui ont fréquenté le Levant, se ventent de connoître de trente pas de loin si un homme est attaqué de la peste.“

Lindius ubi de febribus epidemicis in universum disputat, haec dicit: „Quod si valetudinarium, quod viginti febriliter laborantes continet, in Haslario visitaveris, ubi nullis plagis pulvinaribus cubantes obtenduntur, primo conspectu periculosissime laborantes cognoscere poteris. Animadverteris enim mirum quiddam in oculis eorum atque motionibus, quod verbis dici non potest, at aegroti, nisi forte e somno excitatus fuerit, conditionem, quaecunque est, rectius perspicias, quam ex ullo signo alio, cuius rationem habere solemus, possit fieri. Cf. Lind's Dissertation on Fevers and Infection 2. Edit. p. 193.“

III. Sanguinis profusiones ex oris parte interna ac fauce proveniebant. In universum sanguinis profluvia a plerisque scriptoribus in quaque pestilentiae periodo periculosa habentur. Stillici-

dium sanguinis, quum initio morbi eveniret, in adolescentibus sanguinosis nimiam quidem curam non injiciebat, nisi vel plus justo accideret vel interjecto haud magno spatio sanguis denuo proflueret. Cum morbus esset proventus magna quidem copia raro emanabat, sed sanguis erat pallidior atque tenuior, et sanguinis istis profluviis saepe petechiae, vibices, et alia appropinquantis mortis signa accedebant. Guido Chauliacus in pestilentia quadam sanguinis profluvia ex ore et fauce provenientia observabat, et Hieronymus Rubens in sua Ravennae historia narrat, in pestilentia, quae hanc urbem anno MCC vastaret, intra horas viginti quatuor vehementi stillicidio sanguinis homines esse absumtos. Ita Procopius etiam de pestilentia illa, quae anno DXXXIV Constantinopolitani conflictarentur, narrat, multos sanguine per vomitum effuso periisse. Et Mindererus in lib. I. exemplum profert mictus cruenti, et seri, quod juveni, cui nomen erat Sumarotio, sudoris loco e cute erumperet.

IV. Anima foetida. Vulgares homines saepe hoc signum prius animadvertisse medicis tradit Galenus. Et significatur sane hoc signo succos omnes prorsus esse putrefactos. Quare in ea tantum pestilentia praecipue reperietur, quam putridam vulgo dicere solemus.

V. Sternutamentum. Omen malum in morbis acutis sternutatio est, quippe quae indicat, unacum cerebro in morbum implicari pulmones. Peste ea, quae anno DXC Pelagio papa Romam vastavit et inguinaria cognomine appellatur, consumebantur homines subito, quum vel sternuerent vel etiam escitarentur; unda salutandi consuetudo desumpta est.

VI. Raucitas. Haud raro in phrenitide fieri solet, ut aegroti quum loqui velint, nonnisi rauca

VIRO IURIS PERITISSIMO

ATQUE

CAUSARUM PATRONO

DOMINO

IO. CHR. FRANCISCO WELTZIEN

FAUTORI ET AMICO SUO

SUMME VENERANDO

RECTOR

SUMMA QUA PAR EST REVERENTIA

HASCE

STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

D. D. D.

AUCTOR.

uti possint lingua, quod jam Fallopius in opere supra laudato animadvertit.

VII. Tussis. Signum, quod jam Hippocrates in libro epidemiarum primo notavit. Idem etiam Procopius in primo historiarum belli Persici libro commemorat, aegrotos enim ait, repente morbi initio per totum diem vehementi tussi esse vexatos gravique feбри laborasse. Ita quoque in pestilentia, quae Marriano Caesare anno CDXIII Orientem tenuit, laborantes vehementi oçulorum inflammatione affecti, tussi letali die tertio perierunt.

VIII. Nausea, quam Russelius et Mindererus vulgare pestis signum esse affirmant. Galenus hoc malum a bile derivat; hanc enim in ventriculum effusam cardialgiam vomitumque concitasse.

IX. Vomitus biliosus. Mindererus inprimis hoc symptoma observari jubet. Cf. l. l. c. et Russelius. l. l. P. I. lib. II. p. 102: Si quis, ait, majori vomeret molestia, bilem postmodo ejecisse. Idem observavit Petrus Parisius, quum pestilentia Dre-canum illo tempore vastavit.

X. Alvi dolores. Moyses Alatinus, medicus Judaicus, alvi dolores anno MDLX Mantuae excellentissimum signum pestilentiae observavit. Similia fere protulit Russelius (Cf. l. l. P. I. Lib. II. p. 97. cujus verba haec sunt: Semper majori vel minori vehementia quidam circa praecordia pressionis sensus, quam aegroti vix explicare valebant, pesti sese praebebat comitem, nisi forte leve contagium esset. Quae pressio si morbi initio apparet, vel magna permaneret vehementia, semper periculosum erat indicium.

XI. Singultus. Symptoma pessimum in febribus acutis.

XII. Convulſiones. Russelius l. I. P. I. p. 99. febris paroxyſmum, ait, quamvis perraro accideret, nonnunquam tamen cum convulſionibus eſſe conjunctum. Obſervari ſaepe morbo progrediente, motus membrorum ſpasticos, praesertim quum aegroti magna carbuncolorum multitudine laborarent, aut morbi finis appropinquaret. Subsultum tendinum quidem non ita crebro videri, ut in vulgaribus febribus malignis, sed tremorem manuum perpetuum, nullo interdum subsultu tendinum conjunctum rem eſſe pervulgarem. Sed rartum reperiri ſingultum.

XIII. Corpus erat colore ſubrubicundo atque livido et parvis puſtulis atque ulceribus effloſcens. Cutis color, ut colore rubicundo et violaceo eſſet, ſaepe in peſte accidit. „Nam et in ore eorum cernes aliquid peſtilentis coloris, cum partim eryſipelatoſum partim colorem habent depaſcentibus ſerpentibus ſimilem per plures partes diffuſum.“ Forestus Lib. VI. Obs. XI. Schol.

Puſtulas quidem et ulcera quod attinet, non facile dijudicari poterit, qualia et cujus exanthematum generis propria ſint. Fortaſſis cum genere quodam peſtis petechiarum, quas Gottwaldus deſcripſit, aliquid habebant ſimilitudinis. „Hoc genus, ait, ſimile eſſe morbillis et ſupra totum corpus ſeſe diffundere. Duobus vel tribus diebus poſt papulas quasdam provenire videri, quae tamen puſ non contineant. Quae quum die areſiant quinto, haud multum ab aegroto mortem abeſſe.“ Cf. Goodwins Historical Account p. 59. — Magnam exemplorum copiam, ubi tales eruptiones fierent, attulerunt. Hodgeſius (Loimolog. P. 27. 28.) Bertrandus (Traité de la Peſte). Russelius cf. Natural History of Aleppo.

Quod autem morbilli sint haec exanthemata habenda, nescio quibus argumentis permoti, plures medici recentiores contendere velint. Docet enim experientia et praestantissimi observatores atque auctores in eo consentiunt, quod in vera pestilentia bubones carbunculique saepe absint. Opposuerunt quidem nonnulli, id singulare quiddam, ubi eruptiones morbillis et aliis exanthematibus similes fuissent, nihil aliud nisi morbillos fuisse. Sed experientia docet, etsi hae eruptiones initio per se existerent, tamen interdum paulo post in iisdem laborantibus bubones provenisse atque carbunculos, qui adesse pestilentiam extra omnem dubitationem ponerent. Thomas Phayerus, qui Henrico VIII. regnante medicinam exercuisse dicitur, haec bene notavit. Postquam bubones atque carbunculos certissima pestilentiae significavit indicia, haec verba insuper addit: Attamen non apud omnes pestilentia laborantes, ejusmodi ulcera pustulas vel carbunculos reperiri, quare alia signa esse observanda, ne quis exanthematibus commemoratis deficientibus, in errore versetur.“ *Treatise on the Plague by T. P. republished by a Physician. London 1722. p. 50.*

Idem fere Russelius affirmat: „Hunc rationandi modum tam longe a vero aberrantem gravissima mala subsequuta sunt. Maxima enim inde terrarum vastatio fiebat, quum nemo, quin latius diffunderetur pestis, coercere cogitaret. Infecti enim primae classis raro aut nunquam bubones et carbunculos habebant, et apud nonnullos, qui tamen perpauca erant, alterius classis, ubi morbus celeriter letalis fieret, hae eruptiones pariter deerant. Cf. Russel. l. c. P. I. p. 126.

Sed ad Thucydidem ut redeam, inferius dicit, ex hypogastrio magnam exulcerationem in hoc morbo esse ortam, qua exulceratione tamen nihil aliud, quam exanthemata, quae in peste fieri solent, bubones videlicet vel carbunculi possunt intelligi. Quod autem Thucydides non medica quadam diligentia ulcerum sedem atque naturam indicavit, inguinaeque fortasse numeravit in parte ventris inferiore, id noli ei vertere vitio, quum artem medicam non profiteretur.

XIV. Sed aestus quo minus extrinsecus animadverteretur, eo vehementior in partibus erat interioribus.

Rufus uti Orosius narrat, in pectoris visceribus maxime hunc magnum aestum observabat. Quae sane ardoris partium interiorum angustiae haud raro tantam mentis abalienationem efficiunt, ut laborantes ruant armati in alios et gravibus se ipsos vulneribus afficiant, quod Diodorus Siculo in peste sese dicit animadvertisse Carthaginiensi. Mindererus quoque l. c. exemplum profert, ubi a tali insaniente premeretur, et Russelius l. c. P. I. p. 98. aegrotos ait, de cordis ardore maxime queri, quod significarent verbis: *cujani kulbi!* (cor mihi dolet) vel *naar fi kulbi!* (corde ardeo).

XV. Sitis flagrans. Febris ardentis pathognomicum signum.

XVI. Inquies. De hoc laborantium motu, in quo jam supra dixi, maxime eos queri de corde, pluribus verbis dixit Russelius cf. l. c. p. 98. „Quae inquies, ait, quum incrementum cepisset, morbum letalem fuisse, et aegrotos saepe in ultimo vitae spatio, per horas plures continuas corpus et membra (veluti in extrema dimicatione) ultro citroque

flexisse.“ Omnino inquires in omnibus fere febribus malignis signum est.

XVII. Alvi profluvium. Periculosum sane signum, quum pestis natura jam per se ita comparata sit, ut putredinem creare possit. Quare hoc signum interdum jam die primo, plerumque serius sese ostendit, atque in utraque parte, nisi omnia bene se habeant, perniciosum judicatur. Cf. Russel. P. I. p. 103.

XVIII. Testiculorum inflammatio. Hippocrates in libro Epidemiarum primo hanc inflammationem signum esse dicit valde periculosum. Cui assentitur Franciscus Stabilis, qui in pestilentia, quae Venetiam a. MDLXXVI vexabat, testiculorum inflammationem, signum eorum, qui peste absumpti fuissent, proprium esse observavit.


XIX. Gangraena et sphacelus, quibus membra afficiebantur. Hippocrates in libro tertio Epidemiarum narrat: erysipelas malignum et ignem sacrum, extrema quum corporis membra tenerent, eorum jacturam efficere.


F. Paulinum audiamus, qui de membrorum gangraena haec observavit: „Memini me vidisse tres; duas quidem mulieres, alteram nobilem, alteram plebejam, et tertium virum ex illis, qui artem conficiendi naves exercent Venetiis in navali veneto, in quibus maligna illa materia ad pedes propulsa particulae illius colorem naturalem extinxit, et membrum id primum gangraena, mox sphacelo correptum in cadaver versum est, ut fuerit necesse, totum id, quod emortuum erat, secare auferreque, et vir ille pertulit, ut crus illi abscisum fuerit, paulo supra genu, et sibi deinde crus ligneum pulcherrimum ad imitationem naturalis confecit. Nobilis etiam illa matrona sectionem


admisit, et ita sine altero crure, nam huic etiam tota tibia absecta fuit, per multos annos vivere. Plebeja vero illa non est ausa crus praeberere secandum, unde putredo serpsit et corripuit, et coxam, et tandem superiores etiam partes, et obiit suum extremum diem ea de causa, quam alioquin febris eam dimisisset. Fab. Paulinus Praelectiones Mar-
ciae p. 551.


XX. Oculorum visusque jactura. Cf. Ann: nostr. secund. — Narrat Gregorius Agricola, quom pestilentia a. CDLV Marriano Caesare terras ad solem spectantes vastaret, secundo die etiam oculorum inflammationem vehementissimam accessisse; et Eusebius, multos peste affectos, quom restituti fuissent, per vitam totam coecos mansisse, in historia ecclesiastica prodidit.

XXI. Oblivio. Diodorus Siculus quoque hujus mali, quo pestis eminisset Carthaginiensis, mentionem fecit.










Quae vero quantis sint circumdatae paludibus nemo non novit. Contra loco opportuno sita es arx urbis Cayri, cuius incolae, peste inferiorem urbis partem anno MDCCXCI vastante tam bona valetudine uterentur, ut non modo a peste inficerentur, sed ne e consuetudine quidem, qua cum illis conjuncti manerent, ullo malo afficerentur. Cf. Observaciones de morbo, qui vulgo pestilentia dicitur a Dr. Paulo Assalino in expeditionibus Francogallorum contra Aegyptum collectas.

Pestis Atheniensis in annum incidit tertium Olympiadis LXXXVII sive in annum CDXXX a C. n. et veris tempore quum apparuisset, celeriter disseminata, aestate maxime floruit. Profecto ac febres pestilenciales et creandas et propagandas ver et auctumnus aptissima anni tempora sunt. Narrat Paulus Orosius, pestilentiam quae Neroni Caesare Romam invasit, ineunte auctumno tantum saevisse vehementia, ut triginta hominum milli- consumerentur. Vere incepit Byzantina, ab Agathia descripta; auctumno orta est ea, quam Livius commemorat. Sic quoque Sigonius (Cf. de Regno Italiae Lib. II.) pestilentiae mentionem facit, valde perniciosae, quae cum in Italia anno DCXV vigeret, auctumni tempore primum comparuisset. Veris initio lues, quam Bocaccio descripsit, cernebatur: et magna sane fuerit exemplorum copia et e veteribus et e novis historicis desumptorum quibus demonstrari possit, his anni temporibus maxime pertinere pestilentiam, quamvis non dubitem, quin antecedentis aestatis natura quali fuerit, quum ad procreandum morbum tum ad virum ejus augendam, multum conferat. Itaque Prosperus Alpinus vir fide dignus, haec dicit. „Pestis Cayri atque in omnibus locis Aegypti invadere eos populos solet ineunte Septembri mense usque ad Junium



the scale towards document

UB Rostock 05/1500

10 09 03 02 01 C7 B7 A7 C8 B8 A8 C9 B9

C1 B1 A1 C2 B2 A2 B5 A5 20 18 17 16 11

4.5 5.0 5.6 6.3
Patch Reference numbers on ITT
Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No. 033